DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE PARALYSI.

QUAM,
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.
Ex auctoritate Magnifici Rectoris,
D. JACOBI TRIGLANDII, I. F. I. N
SS. THEOL. DOCT. ET IN ACAD. LUGD.
BAT. PROFESSORIS. ECCLESIÆ
IBIDEM PASTORIS.
NEC NON
Amplissimi Senatûs Academici Consensu, & Celeberrimæ Facultatis MEDICÆ *Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

Publico Examini submittit
JOHANNES VAN SPRECKELSEN.
Ad diem 13 Martii, loco, horisque solitis.



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER.
Academiæ Typographum. M DC XCIX.

VIRO

Gravissimo, Spectatissimo,

DOMINO

PETRO VAN SPRECKELSEN,

Inclytæ Reipublicæ Hamburgensis Civi,

Parenti suo

Summâ Reverentiâ & Pietate

Plurimum colendo & prosequendo

cum

Studiô omnis Obsequii & Observantiæ

Hoc qualecunque est

Sacrum esse vult

Gnatus

AUTHOR.





DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE

PARALYSI.

§. I.



ARALYSIS est, quam Tibi, Benevole Lector, pro more Academiis receptô hæ paginæ monstrant. Denominatio Græca est, quam idcircò servare visum fuit, quia magis, qvàm Latinum vocabulum usu venit: παρὰ præpositio varias, prout casum & compositionem, significationes quoque, hìc autem diminutionem sortiens, & vox λύσις à λύω solvo, construunt παράλυσιν.

§. II.

Celsus Lib. III. c. 27. resolutionem nervorum vocat, Avicennæ interpretes teste Sennerto in Inst. Med. Lib. II. Part. III. Sect. I. c. 8. mollificationem, quia molliores ipsis hoc in casu videbantur nervi. Dominus de Roosenroot, olim qui Serenissimo Principi de Sulzbach à Consiliis fuit privatis in editione Scriptorum J. B. ab Helmont transtulit der halbe Schlag. Tempore Celsi ib. loc. cit. Apoplexiam sub Paralysi comprehenderunt, Platerus Prax. Part. I. cap. 2. Paralysin Particularem Apoplexiam nominat. Bruno Lexic. Medic. sub voce Paralysis. etiam dici παραπληγίαν, aut παραπληξίαν; Sennertus loco cit. Paresin quoque huc referri notat, quam sententiam apud Sylvium Prax. Lib. II. cap. 22. §. 39. refutatam legere licet.

§. III.

Peritus literarum Græcarum ex solo nomine qualis sit hic morbus, quem explicare animus est, conjiciet. Describimus, quod sit *Morbus nervinus, ubi motus, Medicis animalis dictus, in parte aliqua corporis cessat, cum, vel sine dolore.*

§. IV.

Motus ab Aristotele Lib. III. Phys. cap. 1. t. 9. 10. definitur; ἡ δυνάμει ὄντος ἐντελέχεια ᾗ τοιοῦτον: *Actus ejus, quod* (addit Sturmius Phys. Conciliatr. Part. I. c. 9. §. 6.) *etsi res aliqua revera sit, respectu tamen inducendæ novæ formæ, qualitatis, aut quantitatis, vel occupandi loci novi, potestate est, quatenus tale.* Ἐντελέχειαν Actum interpretati sunt Aristotelis Interpretes obscurius Cicerone Quæst. Tuscul. I. significante *motionem quandam continuatam & perennem.* Verùm accuratius qui vocis derivationem pensitat, inveniet illâ significari vim aliquam intrinsecam cui-

vis

vis creaturæ ab Omnipotente Creatore connatam, ope cujus hominis membra (de hominis namque morbô hìc sermo est) *magnitudinem, figuram ac situm suum mutant, hinc ad diversas animales actiones peragendas à principiô intrinsecô & conformatione peculiari disponuntur*, e. g. *ad respirationem, sanguinis circulationem* &c. Sunt verba Bohnii in Circul. Anatom. Progymnasm. XXIX. maximè cum Aristotelis verbis convenientia.

§. V.

Spiritum appellare solemus, quod non incurrit in sensus nostros, ab effectu animalem. Unum esse Neoterici contendunt: Prisci animalem à vitali & naturali distinguunt, id quod inter cæteros quoque rejicit J. B. ab Helmont in Tractat. Blas. §. 58. quia veretur, spiritus animales strictè sic dictos à Veteribus, rursus subdistinguendos esse pro variis, quas habent, functionibus, quod prolixum nimis foret: Attamen nihilo minus addit spiritum Vitalem in cerebrô ad gradum majoris perfectionis ascendere, & alibi dicit; De Spiritu Vitali §. 29. rem discamus intelligere, quodcunque etiam nomen pro lubitu nostrô illi imponamus. Ipsemet videtur terminô suô Blas, Animalem Spiritum, & Archæô Vitalem, aut quantum quidem ego percipere valui, formam Essentialem Vitæ indigitare. vid. Tract. Blas & de Physic. Aristot. & Galen. ignar. de Archæo &c.

§. VI.

Huic Spiritui Animali motus tanquam causæ sui proximæ ortum debet. De illius existentiâ dubium amplius non est, sed cum existentia essentiam involvat, nec una sine alterâ esse queat, mentem â notioribus ad ignota dirigere volumus. Videmus vulnere

grandi inflictô animam cum sanguine deficientem & hominem ad actiones ineptum. Necesse est inde sequatur, sanguinem ad elaborationem spiritus Animalis multum conferre. In hôc Authores nobiscum conveniunt affirmantes, eum generari, seu ut alii loquuntur, segregari in cinereâ cerebri substantiâ, depositô ibi rubicundô sanguinis colore, qui per angustissimas arteriarum propagines unà cum venis concomitantibus in plexus piæ meningi subtensos abeuntes veluti per serpentinos Alembici Canales diducitur & attenuatur, sic ut inde succum Lymphæ non absimilem, defœcatissimum extrahi concipere queamus. Illum Raymundo Vieussenio in Nervolog. Lib. I. c. 18. placet dupliciter considerare; *humidiorem & crassiorem, succum cerebri nutritium & succum nervosum cum Willisiô appellat, sicciorem verò & tenuiorem lymphatici ejusdem succi partem, spiritum animalem.* Non spectat huc, quodnam nomen demus huic nobilissimæ parti ex sanguine destillatæ & summè rectificatæ, modò quod sentiam tenuissimam & nobilissimam corporis nostri materialis partem, B. L. intelligat. Sunt (vid. Th. Barth. de Luce Hom. & Brut. Willis de Anim. Brut.) qui igneis particulis constare existimant. Mayow Nitro aereis tantum constare, variis rationibus & experimentis confirmare nititur. Cl. Bohn hosce refutat, cujus Circulum Anatomicum inspicere potest, cui variæ hâc de re & denominatione sententiæ arrident.

§. VII.

Locus igitur sui generationis, ut dictum, in cortice cerebri est, in cerebellô & Spinali medullâ; post albas medullæ illius fibrillas pervadit, quæ glandulis minimorum ad instar vasorum sibi invicem communi-

nicantium appenduntur. Idem à veritate non esse alienum contestatur experimentum Clarissimi Domini Ruyschii in Epist. Anat. Prob. XI. ubi arte suâ & industriâ effecit, ut liquor rubicundus vasis meseraicis exceptus, ductusve per varios illorum Mæandros in glandulis Ipsi spuriis dictis albus apparuerit. Porrò ex meditullio cerebri propagines variæ nervi dicti multis fibrillis medullaribus constantes ad varios motus edendos per totum corpus dispescuntur. Vieussenius Libr. III. c. 5. in eâ est opinione; *spiritum quendam animalem unà cum nervosô quodam succô circularem motum in corpore obtinere, adeò, ut e nervis elapsus in diversis corporis glandulis lymphæ, quæ in ipsis ex arteriosô sanguine elicitur, admisceatur & deinceps vasorum lymphaticorum, receptaculi Pecquetiani & ductus Thoracici interjectu in vasa sanguifera refundatur, in quibus activorum sanguinis principiorum vires attritas refocillet ac conservet.* Cultellus Anatomicus ea usque huc satis accuratè nondum detexit. Per angustum in augustum spatium transit Spiritus animalis, & sic in initiò lentus, post celerior; tandem in varios nervorum ramusculos divisus lentum cursum repetit transiens ad extrema usque cutis, testante id corpore reticulari Mapighii.

§. VIII.

Quoniam igitur minutissima extrema vascula præ cæteris vicissitudini subjacent, quam plurimùm circa illa Paralysis oritur; motus & sensus desinunt, atque miser homo trunci instar decumbit, nec pes nec manus officium facere queunt. Vitiato corpore animam aut nihil agere, aut incommodius agere; inquit Erasmus. Ast cum nobis Renatus des Cartes in suis me-

meditationibus demonſtraverit, ſemper animam noſtram cogitare atque idcirco aliquid agere, confuſas quidem in ejusmodi ſtatu cogitationes æger habet ſat multas, attamen de certo aliquo objecto ad illud clarè & diſtinctè perſpiciendum cogitare, hoc opus hoc labor erit. Hinc quod ad ſeriam pænitentiam attinet, homo quidem de illâ radiis divinis affulſus cogitare poteſt, ſed beati, & plus quam beati ſunt integrâ valetudine ſalutare hoc negotium animo volventes, imò & gratia divina ſuffulti perficientes! Tunc ad ſtatum morboſum quando veniunt magis ſolaminis, cum quo ad corpus, tum quoad animam participes fient veri Patientes, quum aliàs impatientes ægri ſint ac murmurantes contrà inevitabile Fatum. Quæ ſpes reconvaleſcentiæ ex tranquillo ægri animô & ægro & Medico detur, facile patet.

§. IX.

Proxima miſeriæ noſtræ, quam deſcripſi, cauſa, eſt Spiritus Animalis ejuſque motus naturalis impeditio, vel plena abolitio, quod fieri ſolet & compreſſione & laxatione nervorum. Secundo, ſi Spirituum Animalium ſecretio in Cerebrò, Cerebellò, medullâ oblongata & Spinali non fiat juſtâ quantitate & qualitate, quemadmodum in ſequentibus dilucidius pertractabitur. Quid mali corrupta maſſa Sanguinis pocreet notum eſt, ſimul & Paralyſin, ut ſymtoma, in permultis morbis adjungens, quales ſunt; Lues Venerea, Scorbutus, Hydrops, Vermes, Melancholia, Colica, Febres Tertianæ nothæ, quæ ſecundum Fernelium, in Paralyſin migrant, Rachitis, Hæmorrhagiæ, Paſſio Hyſterica, retentus menſium & Lochiorum fluxus, Cancer Mammarum Arthritis, Podagra, Spaſmus, Tremor artuum, Epilepſia & Apo-

plexia

mentum pituitoſum quoque huc referre, verùm hæc duo apponere viſum eſt, quia I. præ cæteris paſſionibus animi vehementibus ſeu fontibus multorum morborum obnoxia ſunt. II. Melancholico multùm particularum terreſtrium, parum oleoſarum & minus aquoſarum ineſt, quæ conjuncta & ad ſuam proportionem aucta pituitam viſcidam & tenacem conſtituunt. III. Colerico multum ſalino volatilium oleoſarumve nonnihil adeſt, volatilitas ſecedit & materiam viſcidam & tenacem relinquit. Non ſanguineum, nec Phlegmaticum ſegrego, juncta ſæpè ſunt modò huic, modô illi pro varietate particularum, & videmus, quam arctè ſibi invicem Temperamenta conjuncta ſint. (4) Ob ætatem ſenilem. Ipſa Senectus morbus. Ventriculus tonum amittit, Chylus depravatur & M. S., denique ſuccus vel liquor nervorum deficiunt cum viribus longô tempore jam attritis.

§. XIV.

Conſideratur Paralyſis duplici modô, aut ratione loci, aut ipſius Affectus in ſe ſpectati. Illam diviſere Authores in Paraplegiam, quando omnes ſub capite partes reſolvuntur, graviſſimam eſſe ſpeciem Paralyſeos Sylvius II. Prax. cap. xx. 38. fatetur: Hemiplegiam, ubi omnes uniùs lateris membra afficiuntur. Paraplexiam, ſi dimidium corpus inferiùs, reſolutum eſt, quamvis hanc & Paraplegiam nonnulli pro Synonymis habeant teſte Brunone in Lexic. Med. Pareſin, quam Sylvio loc. cit. §. 38. placet cum aliis ad comitatam referre, *quia colicos dolores ſequitur & quia dolor gravis & acutus eſt conjunctus, adeò ut plerumque in convulſiones tranſeat:* Inter Priſcos Medicos ejus mentionem facit Paulus Ægineta Lib. III. c. 18. & 43. & Joh. Crato Conſ. 171. & 172. aſſerit,

rit, non ad principium nervorum, sed plerumque ad musculos malum in hôc morbô transmitti. Paralysin scorbuticam huic maximè cognatam, siquidem etiam ex malâ diætâ aërisve injuriis oriri potest.

§. XV.

Ratione ipsius Affectus *in se spectati*, vel *vera, perfecta* est, si sensus & motus omninò abolentur; vel *imperfecta, notha*, si motus aut superstite sensu absit, aut sensus superstite motu; sentiente ita Craniô Tr. de Homine cap. LIX. ut intelligatur, hæc quo pacto fieri possint, conferatur inter cæteros Cranius locô citatô cum Willisii (Tom. II. Part. II. c. 9.) ratiociniis.

§. XVI.

Differentiam Genericam à cæteris morbis non attingam, quoniam ex Descriptione §. III. datâ manifesta est. Specie differt Paralysis I. ab Apoplexiâ; uterque quidem morbus nervinus est; hæc tamen semper principia nervorum adoritur, illa non semper nervorum principiis ortum debet, ut in Paralysi post Apoplexiam adveniente fit, sed potissimum exteriores nervorum propagines infestat. II. Apoplexia totum corpus subitò attonitum profligit; Paralysis tantum partem interjecto aut aliquo, aut nullo temporis intervallo. Ulterius III. distinguit Etmullerus vid. in Colleg. Practic. Paralysin à Paraplegia & Paresi, verum in verbis ero facilis, modò in re conveniamus. Suffultus authoritate Eruditione Clarorum Virorum ad species Paralyseos illas retuli. IV. A Stupore, qui aliis Crampus vel Convulsio flatulenta dicitur; hic sensus & motus debilitas; illinc abolitio est, intellige Paralysin veram. In stupore formicatio sensus continuo durat; in nothâ vel imperfecta etiamsi motus aut sensus adsit diminutio, nulla tamen depravatio. V. A Catharrô, qui

motum

motum imminuit, non cessare facit, insuperque dolores procreat ad quamcunque vel levem motionem, plerumque & tumor associatus est, non autem veræ Paralysi, cui adjungitur tandem Atrophia. Origine etiam discrepant; Catarrhus enim â vaporibus salino acribus â capite quasi defluentibus, aut ab incrassatione Lymphæ esse dicitur. Paralyseos autem *causa immediata & proxima est* ab impeditô influxu spirituum Animalium, ut suprà innui. Denique Catarrhi hâc curatu faciliores sunt. VI. A Tetanô, ubi nervi expansi, corpus erectum rigidumque est, qui morbus paucis diebus vel felicem vel infelicem exitum habet: In Paralysi autem nervi potius resoluti, corpus quasi conquassatum & collapsum est, cura & difficilior & diutius durat.

§. XVII.

Significationes boni vel mali successus sunt sequentes; Inter nuncios Paralyseos referuntur stupor & tremor artuum. Pulsus durus, parvus, non nihil inordinatè intermittens (notante Ferneliô Patholog. III. 6.) ac debilis. Urina alba & quandoque rubea propter renum in secretione sanguinis debilitatem. Ubi jam adest Paralysis, *bona* signa habentur, (1) si dolor & tremor accedant. (2) Pars paralytica calore actuali, vel febri affecta. (3) Diarrhæa superveniens. (4) Cura facilior est in crure & pede, quam in partibus superioribus. (5) Ubi motus saltem læditur superstite sensu. (6) In juventute. *Mala* siggna observantur. (1) Paralysis ab humore pituitosô nervorum substantiæ impactô genita, rationem vide apud Riverium Prax. 1. c. 5. (2) motu & sensu simul læsô. (3) Apoplexiæ succedanea rarissimè curatur, quæque in Apoplexiam rursus degenerare

 solet.

ſolet. (4) Reſoluti lateris oculus ubi imminuitur. (5) Frigus partis affectæ calorque oppoſitæ. (6) Sudoris vel abſentia, vel colliquatio, qui cum (7) Atrophiâ, vitæ finem imponere, aut in Apoplexia ſubitò id præſtare ſolet. (8) Ani & veſicæ ſphinctrum reſolutio in hemiplexiâ & Paraplexiâ nihil boni portendit, non æque in Paralyſi Scorbuticâ. (9) Inveterata (10) Plures partes ſimul infeſtans. (11) Impoſſibilis curatio ex nervorum diſſectione (12) & in Senectute.

§. XVIII.

Quod ſi ullâ in re, ſanè in curatione morborum tempori quàm maximè ſerviendum eſt. *Omnia tempus habent & ſuis ſpatiis tranſeunt; tempus naſcendi & tempus moriendi eſt*, inquit Eccleſiaſtes III. 1. 2. Exemplum nobis ſuppetit in Sacris Joh. v. 4. piſcina ab Angelô agitatâ, quæ cunctos morbos ſanabat, modò obſervaret æger, ut in ipſô actu commotionis aquæ deſcenderet. Practici obſervant verno & æſtivô facilius, quam hiemali tempore Paralyſin curari.

§. XIX.

Ad curam me accingens reperio, eam *Chyrurgicam & Pharmaceuticam, Internam & Externam eſſe:* Inſuper & *Divina* medendi methodus eſt captum noſtrum ſuperans, de quâ tamen quædam balbutire liceet. Sacræ literæ duplicem nobis deſignâre; unam, quæ fit adhibitis ſimul mediis naturalibus viſibilibus ſc. argilla ſputôque commixtis in reſtituendo cæcô. Alteram, ſolô verbô ſine omni aliâ re; *ſurge, tolle lectum tuum & ambula*, *illicò* æger, quem Paralyticum pronunciat Th. Bartholinus *de Paralyt. N. T.* obambulavit. Quanquam qui virtutem Dei irritam

irritam haberi ſatagunt, naturali vocum vi affectus variave phænomena naturæ producenti illa tantùm tribuent. Verum hic erat intentio pluſquam mente noſtrâ percipere valemus, præſtare, oſtendere, quantopere reſpiciat oculus Domini Fidem, quare ſæpiſſimè de illâ apud ægros Salvator quærit, denique manifeſtare miſeris dulce Suum nomen, ſanguinem Suum animas purificantem & virtutem ſuam intrinſecam homini etiam externo impertitam, imò Fides quod ſit verè ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων Ebræor. XI. I. Poſt diu mos invaluit ſanandi ægros precibus & fide, quod ex Jacobi monitu V. 14. liquet. Ægrorum cauſâ (*ait Th. Bartholinus* librô citatô) *Medicus in Theologiæ abdita penetret, ut ſi res ita poſtulet, tam animabus, quam corporibus medeatur abſenteque Theologô non tantum affectus animi leniat, ſed & fide infirmos certô ſolamine erigat.* Optimè adjungit Fidem, ac ubi illa & apud Medicum, & apud ægrum eſt, non dubitandum, quin citò, tutò & jucunde ad mentem Hippocratis cura perficiatur. Aſt enim verò cum tantum non omnes Fide deſtituamur, Deus, ut ſenſus eſt Macarii (*Homil. XLIIX. de Fide perfectâ in Deum*) varia medicamina potiſſimùm in gratiam infirmorum in Fide, Infideliumve creauit, num fortè his allecti Bonitatem ſummi Numinis agnoſcere ipſique pro tot tantiſque beneficiis meritas gratias agere velint. Opto igitur ex animô velit largitor omnium bonorum & Pater Luminum mihi omnibuſque artem hanc profitentibus Fidem & Lumen ſuppetere ad diſſipandas denſas admodum tenebras, quibus in Medicinâ æque ac cæteris Scientiis circumfuſi prohibemur multarum rerum cognoſcere cauſas.

 §. XX.

§. XX.

Cura, quæ nunc fit mediis merè naturalibus, sequenti modo institui potest. Quoad Chyrurgiam; obvenit V. S., ubi attendendum est ad omnes circumstantias, quarum minima rem variat (1) In Paralysi Apoplexiæ superveniente (2) ex Terrore vel irâ; vel (3) ab intermissa V. S. (4) quando Temperamentum est Colerico Plethoricum. (5.) Casus, ictus aut contusio præcesserint, ego à V. S. non abhorrerem, nisi subjectum contra indicet. Præstaret præmissis universalibus principium morbi, quam postquam duraverit aliquandiu malum, venam secare; nam quantum utilitatis attulerit, experientia mihi fuit testis; jam enim Tremor & Stupor aderant fœminæ 50. & ultrà, annorum, quum V. S. motus pristinus fuerit restitutus, tantùm abfuit, quod imbecillior facta sit. Dicti Veritatem passim apud Practicos consignatam B. L. leget. In Paralysi à temperamento Colerico Plethorico orta Schenkius de Paralysi & Sylvius cum aliis V. S. maximoperè commendant.

§. XXI.

Ægro à V. S. abhorrenti Cucurbitulæ cum simplices, tum scarificatæ in parte affecta, vel nuchis imponi possunt, quò sensus, calor & motus revocentur.

§. XXII.

Commendantur etiam Setacea & Cauteria, & summum in curandà Paraplegia & Hemiplegia auxilium à setaceis, aut Fonticulis in cervice institutis expectandum esse Sylvius loco citato asserit tum ratione evacuationis tum ratione salis lixiviosi cauteria producentis & humorem noxium corrigentis.

§. XXIII.

§. XXIII.

De membrò resolutò urticis percutiendo Riverius cum aliis mentionem facit. De Usu Flagrorum in re Medica videantur Th. Bartholinus & Meybomius in peculiaribus Tractatibus.

§. XXIV.

Ad Patientis vires semper respiciendum est Medico, & si evacuatione eget, nec evacuantia fert, confrictionem commendat Aëtius Tetrabib. II. Serm. I. 96. de cujus existimatione apud Priscos lege Oribasium, Celsum, Paul. Ægineta, Alex. Trallianum & modum sana ratio citatique Authores insuper monstrant. In hoc motu pori aperiuntur animaque allicitur ad remittendum eò sanguinem sufficientem & Spiritus Animales. Corpus, hæc dum ita fiunt, calidum servetur in hypocausto & linteis benè tegatur.

§. XXV.

Citius cura absolvetur, si vel post frictionem Linimenta, Unguenta & Emplastra applicantur, vel unà cum his illitæ partes ad focum fricantur, hoc pacto eorum vis intimius penetrabit.

§. XXVI.

Prostant hinc inde varia apud Practicos & in Dispensatoriis medicamina usu probata: Emplastra, Unguenta nervina, Mixturæ ex Spir. formicarum, lumbricorum terrestrium, Ol. terræ, Camph. Tinctur. Croc. paratæ. Dolæus oleum cantharidum cum aliis aromaticis conjunctum commendat. Particulæ Salino Volatiles & oleosæ Unquentorum non tantum locum affectus penetrabunt, verum & odor ex hisce per nares ad cerebrum partesve nervinas labefactatas refocillanda pertinget, in quem finem Essentia Am-

bræ

bræ pro lubitu Medici admiſceri poteſt, ſi æger odorem ferre queat. Emplaſtra duplici uſui inſerviunt, ab injuriis aeris defendunt & ſubtili ſua volatilitate pituitam viſcidam tenacem reſolvunt. Inſuper citius & tutius Medicus ſcopum ſuum attinget, quando poſt uſum Camphoræ & volatilium in mixturis ſuprà memoratis Emplaſtrum aliquod ex jam dictis & ſimilibus ſuperimponet, ne Spiritus in Camphora&c. tam ſubitò avolent & relinquant materiam viſcido terreſtrem, quæ in poros à Spirituoſis maximè apertos eò commodius ſe inſinuat. Impeditur autem illa exhalatio maxima ex parte per Emplaſtra, ſiquidem craſſa ſua oleoſitate particulas volatiles involvunt, detinent; & rurſus hæ in craſſam oleoſitatem Emplaſtrorum operantur, eamque ut ita loquar, volatilem reddunt. In hac actione particularum ad ſe invicem calor parti affectæ perſalutaris augetur & diutius conſervatur, quo circulatio lymphæ & ſanguinis redintegretur unà cum ſufficiente affluxu Spirituum animalium in nervos. Aluminis Sylvius meminit plumoſi, ſ. crudi, ſ. præparati, ſi oleis immiſceatur, fore, ut magnum inde æger ſentiat levamen. Alii poſt cucurbitulas & ſcarificationem proficuum illud invenerunt.

§. XXVII.

Hæc quidem in uſum trahi poſſunt, ſi una aut altera pars ſaltem læſa ſit. Quid autem agendum ubi Paraplexia vel Hemiplexia adeſt? Balnea vel *Artificialia, vel Naturalia* petenda ſunt, vectione inſuper etiam aliquid commodi ex incommodô nonnunquam afferente. Haud procul ab urbe Francofurtô ad Mœnum Thermæ ſunt à ſerpente nomen habentes, his uſus eſt quidam, ni fallor, Podagricus & convaluit. De Thermis tam pro Potu, quam balneo Paralyticis ſalu-

ſalutaribus vide Authores. Aquiſgranenſes, Embſenſes & Wisbadenſes notæ ſunt. Ars naturæ æmula eadem invenire conatur collectis ex Regnô Minerali variis e. gr. minerâ antimonii, cum ciner. clavell. nitrô vel O. coctâ &c. ex Vegetabili; nervinis cephalicis & antiſcorbuticis herbis & radicibus; ex Animali, qualia experientiâ ſibi comprobata vid. apud Savonarolam (Prax. Tract. VI. cap. 2.) confer & Etmullerum in Collegio Practico, Dolæum &c. Haud abs re foret, ſi æger in balneô ſedens ſpirituoſa naribus admoveret, ut ſuprà innui.

§. XXVIII.

Sequitur nunc *interna Cura*, quæ cum *externâ* conjuncta utiliſſima erit. Occurrunt humores præparantia & expurgantia. Williſius loco ſuprâ citatô. catharſin Inſtitutam vult circa æquinoctia terque quaterque ex debitis intervallis repetitam. Sylvius Trochiſcos Alhandel, Hermodactilos & Mercur. dulc. commendat. Boylius pilulas Lunares extollit. Doleus ſpecifica nervina addit, ex quibus pro intentione Medici variæ formæ confici queunt, quas ad omnes circumſtantias apponere, brevitas Diſſertationis, cui ſtudeo, non permittit. Inter illa, quæ primas vias purgant ac faciliorem reddunt medicaminum ſpecificorum operationem; Vomitoriorum uſum Practici non diſſuadent, modò ægri conſtitutio imbellis non prohibeat, nec æger diu ægrotaverit. Aſſumat itaque Tartarum Emetic. ad mentem Ludovici paratum an. gr. j. ad v. unde etiam leniter alvum deponet, Semihorâ poſt vel infuſum Thee, vel fl. cordialium calide aſſumat, quô largo aquæ hauſtu viſcida & acida auſtera diluantur, diſſolvantur & eò commodius evomantur.

§. XXIX.

Ubi autem Secretio per alvum instituenda est, Decoctum ex purgantibus & nervinis simul junctis calidè bibat per duos vel tres dies, singulis diebus haustum unum.

§. XXX.

Evacuatâ materia heterogenea insensibilem transpirationem Medicus promoveat. Huic scopo pro potu ordinariô inservire possunt Decocta ex Lignis & radicibus, Essentiæ lignorum, pulveresve diaphoretici qui cum aquis convenientibus destillatis commode assumi possunt.

§. XXXI.

Omnia hæc ad statum ægri propinanda sunt, quem partim ex ante dictis, partim ex Prudentiâ suâ Medici exercitati explorent. Videlicet in Temperamentô Melancholicô, ubi acidó austerum dominatur, alvusque adstricta, res potius per Enemata, inchoanda est, quoniam purgantia, si sint nimis fortia, motum excitant vehementiorem, quam interdum intestina ferre queunt, & si laxantia sunt, metuendumne pertingant sufficienter ad dissolvenda illa scybala eaque exercenda, quanquam meô quidem judicio purgantibus laxantia præferrem, imprimis continuata per aliquot dies, exspectando de his, quod Poëta de lapidibus canit, gutta cavat lapidem non vi, sed sæpè cadendo.

§. XXXII.

Cum autem malum hoc æque ac in Chronicis morbis fit, diu moram nectat, medicamina ad palatum ægri sint accommodata, quin & Cibus & potus, si non planè medicamentosa, ast sanè bene ordinata sint, facilis concoctionis, & confortantia, nempe juscula ex columbis junioribus, gallinis cum Aromatibus

tibus Foliis Laur. ceraſ. vel communis more belgicô in olla tecta leni igne ſuppreſſionis cocto, vel etiam carnes eôdem modô aſſatæ cum embammatibus ex Herb. cochlear. Naſturt. Indic. & Hortenſ. fl. Borrag. Calendul. radic. Primul. veris &c. paratis : Cibos aſſumere 2. l. 3. in die, quam ſemel ultrà modum præſtat. Potu utatur modicô aliquantulum ſpirituoſo, præſertim calido, cujus effectus laudandos Veneranda Antiquitas & experientia deprædicant. Exercitia crebri quidem, ſed modica ſint; à curis quantum poterit abſtineat, caveatve ne animi Affectibus abripiatur, ſic quoque tranquilliores noctes ducet. Tantum ſufficiat diſſeruiſſe pro Themate inaugurali. Tu B.L. in bonam partem accipe, quæ ſcripta ſunt, donec ætate ad omnia Sapiamus rectius

F I N I S.

COROLLARIA JURIDICO MEDICA.

Quæſt. I. *Num Medicus alteri Medico vitia ægri ad meliorem ipſius informationem referens dici queat Calumniator.* Negatur.

Quæſt. II. *An Phrænitici, & Obſeſſi à Dæmone, & à Spiritu Sanctô agitati & in ipſô paroxiſmô conſtituti poſſint propriè dici habere bonum, aut malum animum?* Utrumque negatur.

Quæſt. III. *An detur Actio in Phræniticos, in Obſeſſos & in inſtinctu Spiritus Sanct. agitatos.* Neg.